



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 30. Et accipiens Calicem gratias egit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

tas Dei, spiritus dominetur, & operatio Dei nullum sentiat impedimentum.

Domine Deus meus, magnus certè est honor sacerdotum, magna potestas sacerdotibus Novæ Legis per mirificam gratiam à te collata, quibus uti Apostolis tuis in ultima tua cæna, data est postea potestas verum corpus tuum consecrandi, gratias tibi ago quantas potest mortalis fragilitas, etenim licet indignus sim ego & cuncti, hoc tanto officio, quia tamen ex nobis eligere voluisti ad tam excellens & venerandum ministerium, rogo per hoc Sacramentum Corporis tui, quod datum est in salutem animarum nostrarum & remissionem omnium peccatorum, ut nunquam indigne celebremus, aut sumamus Sacramentum hoc, aut aliis ministremus, sed semper cum omni adoratione, humilitate, puritate, pietate, fide, & reverentia sacris altaribus assistamus.

§. 30. *Et accipiens Calicem gratias egit.*

Cur agis gratias, Domine, quod iam completum esset & finitum ius Legale & Carnalis Lex. videbatur novum iam Testamentum confici in Sacramento Eucharistiæ, nempe ablatis figuris corpus suum vivum realiter transubstantiatum, quod ipse tanto cum desiderio desideraverat dare nobis in pignus, cum charitate perpetua, ut ipse in nobis & nos in ipso permaneremus, per hoc legis novæ Sacramentum, maximum remedium salutis nostræ, essetque oblatio munda & nova ad placandam iram Dei tot sæculis humano generi infensi atque deinceps in remedium omni populo usque ad consummationem sæculi.

**D**omine qui homines elegisti ut fungerentur officio Sacerdotis, da gratiam servis tuis & doce eos semper cum puritate & omni gratiarum actione & intentione data bona tractare, ut tibi quoque semper pro me & de me sit gratum munus & acceptum sacrificium ad gloriam nominis tui, & totius populi Christiani salutem.

§. 31. *Et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi Testamenti.*

Utique etiam singulis potrexit, ut attingendo ius in re tradita acquirerent, uti etiamnum fit in consecratione sacerdotum, & sic intelligi potest illud dedit illis, addens bibendi ex eodem præceptum, tale, quo nemo solus totum, calice contentum, ebibaret, cæterorum uno excluso. an vero bibere debuerint ante consecrationem, quæ præceptum bibendi secuta esse narratur ad modum ablutionis, iuxta id quod S. Marcus insinuat & præcis in con-

secra-